

MELISSA

EUROPAEA FOLIA SEXIES IN ANNO LATINE EDITA

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan - B-1040 BRUXELLIS. Tel. (02) 735 04 08

Editor Responsalis: Gaius LICOPPE - Compositrix: Francisca DERAEDT

Bureau de dépôt: 1040 Bruxelles 4 - Afgifte kantoor: 1040 Brussel 4

De veritate colenda

Statim post fasciculum 55 acceptum Prof. Theodoricus Sacré, hornotini conventus Academiae Latinitati Fovendae copraeses, me litteris monuit vera non esse ea quae de votis finalibus scripseram.

Confiteor votorum textum mihi in promptu non fuisse, cum Francisca Deraedt, quae conventum pro Melissa participavit, ultimae sessioni, ubi vota prolata sunt, interesse non potuisset propter seminarii Vavriensis participes necessario


accipiendos. Re vera tantum confisus sum relationi Professoris Nicolai Fedorov Moscuensis, qui valde perturbatus erat propterea quod plerisque participibus plus placebat acroases sermonibus vernaculis habere quam Latino.

Cum solam veritatem colere velimus, infra divulgamus textum votorum, quae in duas partes sunt divisa.

Prima pars, quae spectat ad institutionem

*Haec tabula picta est pars
quo in codice Fejervary-Mayer,
in Museo Mexicano ante-hispanico,
tractatur de rebus religiosis Aztecorum.
Hic monstratur Tezcatlipoca,
deus bellicosus Aztecorumque tutor,
cuius nomine significatur "Speculum Fumans",
Hac imagine nuntiatur
EUROPALIA 93,
quae ad Mexicum spectant (cfr p. 7).*

Tezcatlipoca



Speculum Fumans

Latinam in scholis, proposita est a Professore Nicolao Sallmann Mogontiacensi:

1. Mutationibus in linguarum institutione nuperrime in Europa factis videatur ne minuantur studia classica in scholis et universitatibus. Demonstratum est Latinitatem prorsus fovere scientiam hodierni cultus, praesertim hodiernarum litterarum.
2. Etiam si studium auctorum classicorum et est et erit fundamentum institutionis Latinae, nihilominus etiam textus medioaevales et neolatini discipulis et studiosis proponantur ut plenior species totius historiae litterarum Europaearum usque ad nostra tempora percipiatur.
3. Ne Latina institutio tantum spectet ad auctores antiquos in vernaculas linguas versos aut ad ostentationem rerum archaeologicarum ex antiquitate superstitem, lingua Latina ipsa summopere consideretur ut instrumentum et mediatrix rationis cogitandi et sentiendi Romanae.
4. Attamen semper observetur conexus inter linguam et vitam quatenus apparet in textibus Latinis, ne fiat vacuum exercitium paradigmatum grammaticorum et vocabulariorum.
5. Vt augeatur fructus docendi, ut lingua quam artissime cohaereat cum ipsa vita, ut voluptas discendae linguae vivae (non mortuae), admittatur aliquatenus sermo Latinus inter discipulos, imprimis inter tirones.
6. Vt magistri ipsi discant usum sermonis Latini vivi cum discipulis suis, universitates instituant studiosis rerum classicarum seminaria idonea, ubi exerceant colloquia Latina et deliberent de methodis quibus sermones Latinos apto modo inferant in scholas.

De his vix fuit disputatio. Vota suffragiis sunt confirmata.

Alteram votorum partem proposuit Professor Iosephus IJsewijn:

1. Academia sibi proponat studia docta et investigationes totius patrimonii Latini omnium aetatum fovere et promovere, et eorum studiorum fructus pro sua virili typis divulgare sive Latine sive maiore aliqua lingua vernacula, id est Anglica, Francogallica, Germanica, Hispanica aut Italica.
2. Academia operam navet ut sedes fiat ad quam nuntii mittantur quavis de re Latinitatis cultoribus et cultricibus utiles, ut puta de conventibus convocandis, de novis maioris momenti studiorum instrumentis in lucem prodeuntibus etc. Academia autem hos nuntios quam primum in commentariis suis annuis aut aliis mediis latius divulget itaque efficiat ut melior studiorum Latinarum ordinatio per omnes gentes et nationes crescat.
3. Academia in universum omnes sanioris consilii conatus fulciat qui pertinent ad studia Latina latissimo sensu accepta provehenda nec non et ad institutionem linguae Latinae servandam et augendam.

Restituta veritate causa tamen non est cur vivae Latinitatis fautores vere gaudeant. Testimonium propono sodalis nostrae Americanae Nancy E. Llewellyn, quae cum de falsa votorum relatione me monere vellet, scripsit haec:

Fasciculum Melissa 55^{um} nudius tertius accepi. Gratulor Tibi sincere de verbis Tuis de fide servanda, sed hoc addere velim paenultimo paragrapho ubi de verbis professoris Nicolai Fedorov agitur: aut illum aut memetipsam quod factum sit in ultima conventus sessione omnino perperam intellexisse - non solum quod ad suffragia attingat sed etiam ad proposita ipsa.

Mihi adstanti omnia fieri confusione Babelica omnium linguarum videbantur, qua forsitan eveniret ut vix quisquam quidquam bene intellegere valeret. Minime attamen disceptatum est, nisi fallor tota, de linguae Latinae usu interdicens in acroasibus futuris sed potius tantum de vulgaribus linguis admittendis. Mulier quaedam mihi ignota primum contionem habuit ne in proximo conventu participibus loqui liceret nisi Latine. Clamores rixaeque orti sunt omnibus gentium sermonibus, quos pacare conatus est Professor IJsewijn. Alii contra proposuerunt veniam et facultatem linguis vulgaribus utendi, qua facultate ipsi perfructi erant, futuros in conventus esse conservandam. Suffragia tandem lata sunt de altero tantum proposito. Quidquid revera fuerit sensus eius, non est verum quod fere omnes votum fecerint ei assentientes. Doleo quod suffragia meis ipsius digitis non numeravi, sed memini bis tertiam partem eorum qui adfuerunt isti sententiae fuisse. Hoc certe nobis non est causa qua laetemur, sed ipso facto tertia pars loqui, scribere, auscultare Latine malle apparet!

Alius optimus sodalis, qui ultimae conventus sessioni interfuit, nobis narravit Professore Ussani, Academiae Latinitati Fovendae praesidem, cum de Professoris Iosephi IJsewijn propositis disputaretur, mutationem proposuisse, qua significaretur linguam Latinam potius quam linguas vernaculas in Academia adhibendam esse. Haec mutatio repulsa est atque integer textus suffragiis confirmatus est. Certe, ut vigeant haec proposita, oportet ab Academiae sodalibus Romam congregandis adoptentur. Sed vix dubium est quin assumantur.

Ad summam Professor IJsewijn tantum cogitat de litteris Latinis modo scientifico tractandis quacumque sit lingua; de sermone Latino nostris temporibus colendo adhibendoque minime curat. Certe nil dico contra has investigationes; multa enim conferunt ad radices, truncum ramosque ingentis arboris Latinitatis melius cognoscendos. Sed illi qui etiam virentes Latinitatis ramulos colunt propria, firma praestantique sede egent. Nolumus oblivisci ex illorum impetu Academiam Romanam ortam esse; conventuum titulus totus semper fuit: «Conventus Latinis litteris linguaeque fovendis». In hoc titulo «fovere» est magni ponderis; mortua enim iam non foveri possunt; viventibus tantum prodest foveri et praecipue pullis.

Nefas est Academiam a scopo suo avertere. Hac in re veritas etiam est colenda.



Gaius LICOPPE

DE EXCURSIONE ANTVERPIENSI

SCRIPSIT CHRISTIANUS LAES



Christianus Laes, qui alumnus est in universitate studiorum Antverpiensi, seminarii Latini participibus explicat mirabilia Antverpiensia.

Exeunte mense Iunio, examinibus mihi impendentibus, epistulam doctoris Gai Licoppe accepi, in qua ille me rogavit an inter seminarium Vavriense excursionem ad urbem Antverpiam ducere vellem. Hunc annum praeterea peropportunum esse ad id faciendum quod Antverpia anno 1993 caput Europae pro bellis artibus electum sit. Quod consilium, mihi haud ingratum, diu tamen adnuere dubitabam, cum multae difficultates exspectandae essent, multa facta requirenda enarrandaque.


De hac excursionem nunc feliciter exacta, libenter hanc symbolam scribo. Ut descriptionem satis integram urbis Antverpiae componam? Minime. Exstant plurimi libri de hoc argumento, spatium aliquot paginarum omnino non sufficit, ac praesertim harum rerum peritus omnino non sum.

Mellius ergo erit hic pauca tantum annotare de hac lustratione, primum ut

demonstretur id revera fieri posse ut inter homines tot variarum nationum cuiusdam urbis mirabilia Latine describantur (nobis ergo non opus erat mystagogo quinque linguis loquenti), deinde ut eos qui non participaverunt ad quandam curiositatem alliciam mirabilia Antverpiensia obeundi, videndi, admirandi.

Die 8 mensis Augusti, autoraeda longa vecti, circa horam decimam Antverpiam advenimus. In illa area quae dicitur «Steenplein» (Area Saxi) excursionem coepimus apud statuam gigantis «Lange Wapper»¹, spiritus maligni mediaevalis qui, cum grandesceret, homines ebrios atque pueros insolentes terrificabat.

Sol, clementer lucens in caelo caeruleo, radiis suis castellum «Het Steen» circumfundens, nobis aspectum placidum atque affabilem huius aedificii praebebat. O rerum mutatio! Hoc castellum, ab anno 1220 usque ad annum 1225 constructum, posteaque pluries restauratum, per multa saecula carcer tam malae famae erat ut statim, id videntes, recordati simus hunc versum Lucretianum: «Verbera, carnifices, robur, pix, lamina, taedae.»² In hac arce, ubi plurimi miserrimi post atrocia tormenta extremum spiritum



Castellum "Het Steen"

1 Vocabulum Antverpiense pro «homine magno».

2 Lucretius, 3, 1017.

effuderunt, nunc multi peregrini sine ullo periculo ambulare solent, cum nunc museum rerum navalium ibi institutum sit. Nos tantum Christi cruci fixi effigiem atque muros sacrarii Caroli V (ex anno 1520) admirati sumus.

Ambulationem perreximus in xysto septentrionali, ab anno 1881 usque ad annum 1887 constructo, cum ripa fluminis Scaldis rectificaretur ac novae crepidines aedificarentur. Propter hoc opus pretiosissimum multae viae, fora atque una ecclesia deleta sunt, quin etiam haec terra triginta metra in Scaldem porrecta, unde verisimiliter derivatum est nomen Antverpiae³, his annis evanuit. In hoc xysto multi e grege nostro photomachinas prodiderunt, cum Scaldis tempestate egregia propectum splendidum praebere.

Per viam dictam «Burchtgracht» (Fossam), saeculo tertio decimo fossam castelli «Het Steen», etiam nunc duabus de causis, fama⁴ scilicet et forma, viam «pravam», aedificium mirabile «Vleeshuis» (Domus Carnis) tetigimus. Ab anno 1501 usque ad annum 1504 gilda lanionum, collegium ditissimum ac potentissimum huius temporis, hanc domum artis Gothicae serioris, ex lapidibus harenae constructam, erexit.

Ceterum in his temporibus tantum laniones ditiores ibi carnem vendebant; animalia autem in viaculis circa hoc aedificium iugulabantur, sanguis et viscera viis dispergebantur. Tales imagines nos autem non vidimus, cum «Het Vleeshuis» nunc museum antiquitatum Antverpiensium factum sit.

Regio circa hanc Domum Carnis aspectum specialem, spiritumque ut ita dicam mediaevalem habet: ibi enim omnes viae atque domus providentia sociali reconstructae sunt, vetere ordine viarum servato.

Ibi nonnulla propria Antverpiensia admirati sumus, sicut «Krabbestraatje» (Viaculam Cancris) ubi habitabat Jan Zonder Vrees (Iohannes sine Timore), vir popularis fortissimus qui, saeculo quarto decimo

ineunte, caedis insimulatus, postquam Antverpia fugit Scaldem tranando, variis casibus lactatus est cum comite suo «Dokus». Cum autem uxorem comitis Burgundici (qui quoque Iohannes sine Timore appellabatur) manibus latronum eripuisset, eques factus est domini cuiusdam «Strazele». De illo viro multae fabulae narrantur: exstat etiam series celebris librorum pro iuvenibus, Nederlandice scripta, ubi illius viri «novae res gestae» tractantur.

Etiam aditum bene absconditum cuiusdam theatri puparum («De Poesjekelder») vidimus, ubi fabulae dantur dialecto Antverpiensi purissimo aut expolito... Per has vias pseudo-mediaevales ambulationem celeritate vere testudinea perreximus, cum pars photographare cuperet, alii photochartulas emere vellent, alii sermocinari atque uno tempore ambulare aperte nequirent.

Postquam ergo in «Hofstraat» (Via Horti) paene unicam frontem ligneam quae restat in tota urbe conspeximus, tandem ad ecclesiam Sancti Pauli pervenimus.

De hac ecclesia nonnulli admiratores hoc proverbium proferre solent: «Qui ecclesiam Sancti Pauli non vidit, Antverpiam non vidit». Quae aedis saepe historiae vicissitudines experta est, praesertim cum die 3 mensis Aprilis anni 1968 magno incendio conflagraretur ac nautae,

meretrices, homines status marginalis omnia thesaura (statuas, picturas pictorum Rubens, Van Dyck et Jordaens atque gemmas) eripientes, partem interiorem a toto excidio vindicarent.

Quia tempore antemeridiano missa Sancta celebrabatur nos partem interiorem non invisimus, sed tantum viam Crucis (ex anno 1709) in horto iuxta ecclesiam conspeximus, quae aspectum nimis theatralem, multis cum ineptis praebet, attamen, ut dicunt

artis historiae peritissimi, una et sola est totius Europae.

Quid postea? «Grote Markt» (Forum Magnum)



Forum Magnum

3 Nederlandice «Aan 't werf» = Latine «apud terram porrectam».

4 In hac via multae meretrices inveniuntur...


adiimus, ubi vera vita urbana vivitur; cervesiae bibuntur, cibi eduntur, nuptiae concillantur. Qua in platea paene omnia aedificia visu digna sunt. Iam ab ineunte saeculo quinto decimo enim gildae ditiores ibi aedificia erexerunt, quae tamen paene omnia post Furiam Hispanicam (1576) flammis deleta, postea structurae genere quod a renatis artibus nuncupatur reaedificata atque iterum saeculo undevicesimo restaurata sunt.

Statua et fabula Silvii Brabonis certe omnibus qui Antverpiam viderunt nota est, et iterum iterumque mystagogi enixe contendunt ut hanc fabulam quam alacriter auditoribus depingant. Ne autem hic textus longus sit, ibi pauca tantum de hac re adumbrabo. Temporibus antiquissimis, scilicet temporibus Romanis, gigas quidam, nomine Antigon, aditum Scaldis custodiebat ac omnibus praetereuntibus vectigal imponebat. Silvius Brabo autem miles Romanus gigantem non timebat et, postquam eum in pugna superavit, manum eius abscissam in Scaldem iniicit. Hanc originem nominis Antverpiae fuisse multi Antverpienses credebant atque credunt⁵, praesertim cum saeculo sedecimo ossa ingentia in imo Scalde inventa essent, quae tamen, pro dolor, postea ossa balaenae cuiusdam esse apparent.

Etiam in hoc foro curia urbana sita est; revera aedificium sui generis, mixtura peculiaris elementorum mediaevalium atque partium ex aetate renatarum litterarum, quae Nederlandice «Florisstijl»⁶ dicitur. In fronte huius aedificii praesertim statuas Iustitiae Prudentiaeque et aquilae quae ad urbem Aquae Grani spectat, et turrin campanile admirati sumus.

Plerumque peregrini his mirabilibus (statua Brabonis, curia urbana ac domus gildarum) satis atque plus quam satis delectantur. Nobis tamen res inopinata accessit. Die enim 8 mensis Augusti magna pompa gildarum per vias Antverpienses progrediebatur ac homines, vestimentis mediaevalibus induti, fragorque cannonum omnibus maximo gaudio erat, mystagogo miserrimo excepto, qui inter hanc turbam gregem suum dividi quin etiam dimidiari vidit, cum alii officinam peregrinorum adirent ad mappas emendas, alii pompam versicolorem photographare cuperent, alii in tanta multitudine e conspectu aliorum abirent...

Circa horam duodecimam igitur grex dimidiatus ad aream Henrici Conscience (Conscienceplein) pervenit. Opportune accidit quod omnes amici nostri Itali etiam tum restabant, quibus aspectus huius areae, variis cum columbis, cum cauponis atque fronte magnificentissimo ecclesiae barocae Caroli Borromaei, certe memoriam Italicarum



In ecclesia cathedrali proponebatur pulcherrima expositio retrotabulorum (verbum mediaevale = Fr. retable, Th. Altarblatt)

platearum quae «piazza» dicuntur renovavit.

Hanc urbis partem Societas Iesu, quae «intellectualis civitas Dei» Antverpiae fuisse dicitur, saeculo sedecimo emit. Ubi nunc bibliotheca municipalis est, antea collegium Iesuitarum erat.

Frons huius ecclesiae, saeculo septimo decimo pictore Rubens suadente constructa, revera splendidissima est: signum ecclesiae triumphantis, «altaria ante ecclesiam», exemplum praestantissimum artis barocae. Culus praesertim tria tabulata, quorum unum Doricas, alterum Ionicas, tertium Corinthias columnas habet, lineasque prosilientes horizontales ac frontispicium 5 metra altius quam tectum ecclesiae admirati sumus. In hac fronte etiam gaudium quoddam philologicum experti sumus, litteras IHS in insigni legentes, quae Latine «Iesus Hominum Salvator», Graece tres litteras nominis IHΣΟΥ significant.

Post has explicationes fauces mystagogi aridae et aures auditorum satiatae erant. Pausa igitur unius horae exacta iterum congregati sumus in «Handschoenmarkt» (Foro Digitabulorum). Ibi tandem ecclesiae cathedralis, Sanctae Virgini dedicatae, quae iam inter ambulationem variis ex partibus aliquatenus pulchritudinem suam nobis aperuit, dignitatem splendoremque plane admirati

5 Nederlandice «hand werpen» = Latine «manum iacere».

6 Floris est nomen architecti, qui hoc aedificium anno 1565 perfectit.

sumus.

Ad magnificentiam, ad dignitatem huius aedificii explicandam, vereor ne mea Latinitas tunc omnino non suffecerit, etiamnunc non sufficiat. Fortasse hi numeri pauca de mensuris illustrare possunt: turris habet altitudinem 123 metrorum, ecclesia habet 117 metra in longitudinem 65 metra in latitudinem apud capsum transversum. Turri etiam ingens campanularum concentus⁷ inest (sunt 47 campanae) quarum una pondus 6434 chiliogrammorum habet.

De historia hoc mihi imprimis annotandum esse videtur quod ecclesia cathedralis persaepe historiae inconstantiam passa, multasque calamitates experta est. Vestigia huius inconstantiae praesertim in interiore parte ecclesiae cerni possunt. Ita ecclesia, cuius constructio anno 1352 incohata, anno 1521⁸ finita est, originaliter partem interiorem arte Gothica exornatam habebat. Post tamen incendium (anno 1533), eversionemque statuarum a Calvinistis factam, picturae statuaeque artis barocae erectae sunt, quarum plurimae a Francogallis revolutionariis qui totam ecclesiam delere, omnesque thesauros vendere volebant, spoliatae sunt. Anno 1815 autem plurima artificia iterum e Francogallia translata, atque iterum nova aedificia artis classicae atque artis neogothicae erecta sunt.

Exempla huius generum diversitatis, postquam ecclesiam iniimus, propriis oculis conspeximus. Non solum fornices Gothicos picturasque Rubensienses barocas (sicut e.g. «Jesus e Cruce sublatus» et «Erectio Crucis») coloribus splendidissimis, motu ac lineis diagonalibus insignes, sed etiam aram sacramenti artis classicae (1821-1823) quietioris atque sedes chorales e ligno fagi et vestibulum artis neogothicae admirati sumus.

Sed, ut iam supra dixi, huic ecclesiae tam multa mirabilia insunt ut etiam enumeratio constricta nimis longa sit, ac fieri non possit ut ego, scriptor mediocris, omnia apte describam vel depingam.


Causa cur reliquam partem lustrationis nostrae breviter denarrem, neque scriptoris defatigatio, neque exiguitas factorum enarrandorum est; sed, tempore urgente, imbribus interdum coorientibus, nos tunc quoque festinanter pergere coacti sumus.

«Vlaaikensgang» (Viaculam Placentarum), revera locum amoenum quietissimumque media in urbe, adimus ubi concentum campanularum audivimus. Postea ad domum Plantini Moreti (1520-1589) pervenimus. Apud domum huius impressorii regalis praeclarissimi sui temporis⁹, aliquando centrum humanismi totius Antverpiae, nunc museum et bibliothecam ditissimam, aliquot minutae tantum manere potuimus.

Post tot monumenta historica explicationesque de historia, tandem ad vicum modernum pervenimus. «Meir» (Paludem) viam principalem commercialemque tetigimus, primum caeliscalpium (1929-1932) totius Europae nomine «Boerentoren» (Turris Agricularum) praetereuntes. Haec via, ante tres annos commeatione autoraedario liberata, tabernas luxuriosas pretiosissimasque possidet quae, si apertae fuissent, nonnullis e grege nostro placuissent, retardationemque etiam maiorem fecissent...

Duo restabant aedificia quae utique Antverpianam primum visentibus ostendere cupiebam. Theatrum quod dicitur «Bourla»¹⁰, exemplum praestantissimum artis neoclassicae, signumque Belgii opulenti temporibus colonialismi, abhinc decem annos aliquatenus ruinosum effectum est, sed, propter sollemnia anni 1993, veterem gloriam splendoremque renaetum est, ita ut nunc iterum fabulae ibi dentur, cafeumque luxuriosum subsit.

Stationem ferrivariam ex anno 1905, exemplum artis neobarocae, procul tantum admirati sumus, cum ambulationem in extrema via «De Meir» conficere statuissemus. Ita neque per viam «De Keyserlei» (Via Caesaris)¹¹ ambulavimus, neque aditum iuxta stationem ferrivariam therthropii celeberrimi, ubi 6000 animalia speciesque rarissimae insunt, vidimus.

Nobis properandum erat, cum autoraeda longa ibi nos exspectaret unde profecti eramus, sc. apud «Steenplein». Ibi omnes sodales revidimus. Nonnulli manifeste fessi esse videbantur atque in coenautocineti somno se dederunt, dulcia profecto Latina (?) somnia videntes, de hac urbe tam mirabili, de die praeterito, in quo historia, res visendae, iucunditatesque Antverpiae Latine demonstrabantur, explicabantur, coniugebantur... 


7 Hoc verbum, ut mihi explicuit Dr P. Caelestis Eichenseer, praefendum esse videtur pro verbo «campanularum ludus» (in lexico Helfferiano [1992]), quia campanulae concanunt, neque «Iudunt»...

8 Quartum turris tabulatum circa hoc annum perfectum iam habet aspectum temporis renascentium litterarum, cum tria alia aperte artis Gothicae sint.

9 Ille e.g. «Bibliam Regiam», editionem criticam Latine, Graece, Hebraice, Syrice ac Aramaice, factam cum eximiiis philologis sui temporis edidit.

10 Bourla (1783-1866) est architectus qui hoc theatrum construxit (1829-1834).

11 Nicaise De Keyser (1813-1887) pictor Antverpiensis fuit.



EUROPALIA 93 MEXICO



«EUROPALIA» est nomen temporis festivi, quo in Belgica celebrantur singularitas amoenitasque culturalis cuiusdam regionis, imprimis Europae sed etiam reliqui orbis terrarum. «Europalia» non solum sonat Latine sed consulto originem habet Latinam. Nam vocabulum dissolvendum est in has duas partes: Eur(opa) et Opalia. Ops est dea Romana, quae titulabatur «consiva» vel «opifera»; eius munus est obscurum. Opalia in eius honorem celebrabantur mense Decembri.

Europalia facta sunt unum ex maioris momenti eventis culturalibus in Belgica. Prima iam anno 1969 instituta sunt; a quo tempore tertio quoque anno solent institui. Sic decursu annorum celebratae sunt Italia, Nederlandia, Magna Britannia, Francogallia, Res Publica Confoederata Germaniae, Belgica, Graecia, Hispania, Austria, Iaponia et Portugallia.



Impensae huius culturalis muneris sunt magnae, circiter 300 millionum Francorum Belgicorum, quorum pars solvitur aere publico, pars aere collecto e lustratoribus spectatoribusque. Cum res oeconomica in praesenti sit satis improspera, timendum est ne proxima Europalia anno 1995 haberi non possint.



Hornotina Europalia habebuntur a die 23 m. Septembris in diem 19 m. Decembris, praecipue Bruxellis, sed etiam partim Gandavi in Flandria et Roterodami in Nederlandia. De expositionibus nonnulla referemus in proximo Melissa fasciculo. Programma Bruxellis facile obtinetur.

Scribatis ad hanc inscriptionem cursualem:

*Bureau d'Information du Tourisme,
63 rue du Marché aux Herbes,
1000 Bruxelles*

Tel. 02/513 89 40

sive

Information Europalia 02/507 85 94.

Insigne Europalium Mexicanorum, quod supra exhibetur, formam generalem litterae X praebet. Quae forma magnae significationis est in orbe Aztecorum. Nam in eorum architectura forma X spatium dividit in quattuor partes, caeruleam, qua significatur vita, nigram mors, flavam femininum et rubram masculinum.



In prima pagina tabulam pictam exhibemus ubi depingitur Tezcatlipoca, Latine Speculum Fumans. Eius auxilio Azteci, ut ipsi putabant, magnis victoriis toto Mexico potiti erant. Maiorum traditio ferebat idem Speculum Fumans olim deum Quetzalcoatl (i.e. Serpens Plumatus) in exsilium pepulisse, sed vetus prophetia praenuntiabat tempus quo Serpens Plumatus reversurus esset ad Speculum Fumans impugnandum. Quod tempus congruebat cum Hispanorum adventu in Mexici litus. Itaque Azteci non mirati sunt Ferdinandi Cortez invasionem, qui pro certo haberent eum esse Serpentem Plumatum revertentem!

GULIELMI COWPER (1731-1800)

VERSICULI LATINI

SCRIPSIT THEODORICUS SACRÉ

POPULETUM¹

Populeae cecidit gratissima copia silvae;
conticuere susurri omnisque evanuit umbra;
nullae iam levibus se miscent frondibus aurae
et nulla in fluvio ramorum ludit imago.
Hei mihi! Bis senos dum luctu torqueor annos,
his cogor silvis suetoque carere recessu,
cum sero rediens stratasque in gramine cernens
inse di arboribus sub quibus errare solebam.
Ah ubi nunc merulae cantus? Felicior illum
silva tegit, durae nondum permissa bipenni:
scilicet exustos colles camposque patentes
odit et indignans et non rediturus abivit.
Sed qui succisas doleo succidar et ipse
et, prius huic parilis quam creverit altera silva,
flebor et, exequiis parvis donatus, habebō
defixum lapidem tumulique cubantis acervum.
Tam subito periisse videns tam digna manere,
agnosco humanas sortes et tristia fata.
Sit licet ipse brevis volucrique simillimus umbrae,
est homini brevior citiusque obitura voluptas.

VOTUM²

O matutini rores auraeque salubres,
o nemora et laetae rivis felicibus herbae,
graminei colles et amoenae in vallibus umbrae!
Fata modo dederint quas olim in rure paterno
delicias procul arte, procul formidine novi:
quam vellem ignotus (quod mens mea semper
avebat)
ante larem proprium placidam expectare senectam,
tum demum, exactis non infeliciter annis,
sortiri tacitum lapidem aut sub caespite condi!

IN SUBMERSIONEM NAVIGII, CUI GEORGIUS REGALE NOMEN INDITUM³

Plangimus fortes; perire fortes,
patrium propter perire litus
bis quater centum subito sub alto
aequore mersi.

Navis innitens lateri iacebat,
malus ad summas trepidabat undas,
cum levis, funes quatiens, ad imum
depulit aura.

Plangimus fortes. Nimis heu caducam
fortibus vitam voluere Parcae,
nec sinunt ultra tibi nos recentes
nectere laurus,

Magne, qui nomen (licet incanorum)
traditum ex multis atavis tulisti!⁴
At tuos olim memorabit aevum
omne triumphos.

Non hiems illos furibunda mersit,
non mari in clauso scopuli latentes,
fissa non rimis abies nec atrox
abstulit ensis;

navitae sed tum nimium iocosi
voce fallebant hilari laborem,
et quiescebat calamoque dextram im-
pleverat heros.

Vos, quibus cordi est grave opus piumque,
humidum ex alto spoliū levate
et putrescentes sub aquis amicos
reddite amicis!

Hi quidem (sic dis placuit) fuere,
sed ratis nondum putris ire possit
rursus in bellum Britonumque nomen
tollere ad astra.

AVARUS ET PLUTUS⁵

Icta fenestra Euri flatu stridebat. Avarus
ex somno trepidus surgit opumque memor.
Lata silenter humi ponit vestigia; quemque
respicit ad sonitum respiciensque tremat;
angustissima quaeque foramina lampade visit,
ad vectes, obices fertque refertque manum.
Dein reserat crebris iunctam compagibus arcam
exultansque omnes conspicit intus opes.



Sed tandem furtis ultricibus actus ob artes
 queis sua res tenuis creverat in cumulum,
 contortis manibus nunc stat, nunc pectora pulsans
 aurum execratur perniciemque vocat:
 «O mihi», ait, «misero mens quam tranquilla fuisset,
 hoc celasset adhuc si modo terra malum!
 Nunc autem virtus ipsa est venalis; et aurum
 quid contra vitii tormina saeva valet?
 O inimicum aurum, o homini infestissima pestis,
 cui datur illecebras vincere posse tuas?
 Aurum homines suasit contemnere quicquid
 honestum est,
 et praeter nomen nil retinere boni.
 Aurum cuncta mali per terras semina sparsit;
 aurum nocturnis furibus arma dedit.
 Bella docet fortes timidosque ad pessima ducit,
 foedifragas artes multiplicesque dolos;
 nec vitii quicquam est quod non inveneris ortum
 ex malesuada auri sacrilegaque fame.»
 Dixit et ingemuit; Plutusque suum sibi numen
 ante oculos ira fervidus ipse stetit.
 Arcam clausit avarus; et ora horrentia rugis
 ostendens tremulum sic deus increpuit:

Inter poetarum eorum carmina, qui Gallicae poesis laudibus floruerunt, Latinas etiam delitescere gemmas omnes opinor expertos esse, qui Racinei, Corneli, Bolaei, Baldelarii opera omnia legendo vel semel percucurrerint. Eiusmodi autem margaritae non minus coruscae et apud Anglos litterarum auctores reperiuntur. Quis enim Swiftium nescit Latina pepigisse pauca eisque superbuisse?⁶ Quis Thomam Gray?⁷ Quisve Hopkinsium?⁸ Hoc ergo in numero locum iure vindicet suum Gulielmus Cowper poeta (Great Berkhamsted, Hertfordshire, 15 XI 1731 - East Dereham, Norfolk, 25 IV 1800) exeunte saeculo XVIII^o ineunte XIX^o civibus suis acceptissimus.

Erat hic vir indole singularis, ut qui execratum sese fato disque existimaret, mente tristitia impressa, quae insaniam minaretur. A qua ut se defenderet ille rusticanam vixit vitam seque laboribus agrestibus plerumque, interdum et Musae Anglicae dedit. Nil ergo mirum si in rebus naturalibus subtiliter depingendis praestitit ceteris sui aevi poetis. Idem et de poesi Graeca et neolatina bene est meritis. Nam et Homerum Anglice reddidit et Latina Vincentii Bourne (1695-1747)⁹ carmina Anglicum in sermonem ex parte vertit. Quos autem versus ipse pepigit Latine, ii a Bourne carminibus prope distant; uterque enim res humiles et simplices facili et eleganti sermone exposuit. At Bourne poemata viris doctis haud sunt ignota; Cowperi vero versiculi tam ignoti, ut ne a Bradnero quidem, litterarum historiae Anglo-Latinarum scriptore¹⁰, sint memorati. Qui cum sint numero pauci, venusti tamen et ob id ipsum ab

«Questibus his raucis mihi cur, stulte, obstrepis aures?
 Ista tui similis tristitia quisque canit.
 Commaculavi egone humanum genus, improbe?
 Culpa,
 dum rapis et captas omnia, culpa tua est.
 Mene execrandum censes, quia tam pretiosa criminibus fiunt perniciosa tuis?
 Virtutis specie pulchro ceu pallio amictus quisque catus nebulo sordida facta tegit.
 Atque suis manibus commissa potentia durum et dirum subito vergit ad imperium.
 Hinc nimium dum latro aurum detrudit in arcam, idem aurum latet in pectore pestis edax.
 Nutrit avaritiam et fastum, suspendere adunco suadet naso inopes et vitium omne docet.
 Auri et larga probo si copia contigit, instar roris dilapsi ex aethere cuncta beat:
 tum, quasi numen inesset, alit, fovet, educat orbos et viduas lacrimis ora rigare vetat.
 Quo sua crimina iure auro derivet avarus, aurum animae pretium qui cupit atque capit?
 Lege pari gladium incuset sicarius atrox caeso homine, et ferrum iudicet esse reum.

oblivione vindicandi mihi videntur esse. Horum autem omnium maxime mihi arridet carmen c.t. Populetum, quod Davidis Jacobi van Lennep elegiae duco conferendum Ad arbores Manpaticas anno 1849 inscriptae¹¹.

- 1 *The Complete Poetical Works of William Cowper with Life of the Author* (Londini, s.a.), pp. 421-422.
- 2 *Ibidem*, p. 423.
- 3 *Ibidem*.
- 4 i.e. Richardus Kempenfelt (1712-1782) pontarchus.
- 5 *The Complete Works, o.c.*, pp. 426-427. Est fabula Iohannis Gay (1685-1732) Latine versa.
- 6 Cf. Jonathan Swift, *The Complete Poems*. Edited by P. Rogers, Penguin English Poets (Harmondsworth, 1983), pp. 567-571.
- 7 Cf. *The Complete Poems of Thomas Gray, English, Latin and Greek*, edd. H.W. Starr - J.R. Hendrickson (Oxonii, 1966), pp. 107-185.
- 8 Cf. *The Poetical Works of Gerard Manley Hopkins*, ed. N.H. Mackenzie (Oxonii, 1990), passim. Hopkinsius, egregius poeta (1844-1889) inde ab anno 1884 litteras antiquas Eblanae in studiorum universitate est professus.
- 9 Cf. M. Storey, «The Latin Poetry of Vincent Bourne», in J.W. Binns (ed.), *The Latin Poetry of English Poets* (Londini, Bostonii, 1974), pp. 121-149.
- 10 Cf. L. Bradner, *Musae Anglicanae. A History of Anglo-Latin Poetry 1500-1925*, The Modern Language Association of America, General Series, X (Novi Eboraci, 1940 = 1966).
- 11 Cf. e.g. J.P. Guépin, *Typisch Nederlands. De Latijnse poëzie* (Groningae, 1993), pp. 89-93.

DE LATINO CONVENTU ACADEMIAE

CONSPECTUS

SCRIPSIT FRANCISCA DERAEDT

Mihi quidem, deficiente otio, non totum per tempus licuit interesse Conventui Academiae Latinitati Fovendae (Lovanii-Antverpiae 2-6 Aug. 1993). Cum inter programmatis themata proposita esset eligendum (nisi erravi, 39 acroases numeravi Latinas, 39 vernaculas: mirum aequilibrium!), faciliorem elegi viam. Nam linguarum extranearum fateor me esse parum peritam, nec satis Anglice scio, quam ut totam acroasin ex auditu intellegam; quare acroases Latine prolatas, quae ab omnibus sine difficultate possunt intellegi, potius adii. Earum quas mihi contigit auscultare brevem conspectum hic liceat proponere.

De statu Latinitatis, qualis sit in regionibus longinquis, locuti sunt Iacobus Nakhov Russus et Thomas Pekkanen Finnis. Quos audiens iterum mirata sum auctoritatem linguae Latinae quodam modo magis agnoscere in terris extraneis quam in originali orbe Latino. Cum disputatio postea esset orta de institutione, problema, quod multi dolent, apparuit esse universale: schola non iam vult esse magistralis, sed attractiva; discipuli non student, sed disputant; in schola, ut ait particeps Americanus, «tempus terunt». Timendum est ne societas, quae mox constabit ex hominibus tam bene instructis, iterum vergat ad mediaevalem obscuritatem.

At cui est culpa? Andreas Fritsch, qui de his condicionibus vivida oratione tractavit, dixit numquam antea, in Germania quoque, tam multos tam pauca didicisse. Memoravit autem verba Horatii: «Nil sine magno vita labore dedit mortalibus» - id quod non solum discipuli, sed plerique parentes videntur non iam scire.

Ceterum de Latina eruditione multa proposita sunt, quibus auditores allicerentur. Plura auscultare volui quam potui: exspectemus Actorum divulgationem!

De Aulo Gellio, de utilitate et amoenitate Noctum Atticarum ita

locutus est Nicolaus Sallmann, ut me induceret in tentationem Gellii iterum legendi. Qui si nostris temporibus vixisset, sine dubio nomen dedisset ad Conventum Academiae participandum, tractavissetque de verbis novandis, ut e subiuncto exemplo licet suspicari.

De genere litterario, quod dicitur *autobiographia*, multa didici ex acroasi Sigridis Albert. Quamquam verbum ipsum natum est undevicesimo saeculo, res non est nova. Intersuntne vestra autobiographiae Latinae? Tunc legatis imprimis Augustinum, sed etiam Erasmus, Thomam Campanella, et... Udalicum de Wilamowitz-Moellendorff (cfr excerptum infra, p. 11).

Nunc quaestiuncula quaedam, ut videamus quid sciatis. Quae est tertia Latinitatis aetas? Responsum invenietis in Actis conventus, ubi vobis legenda erit acroasis Theodorici Sacré. Sed lectores Melissa iam tenent responsum, qui sciant eum esse neolatinitatis peritissimus. Neolatinitatem ostendit esse tam uberem, ut vix credi possit; incipit haec aetas ab humanistis; quando finis ei imponatur, nondum scimus: nam adhuc exstant

QUOD VOCABULUM LATINUM SOLOECISMO FECERIT CAPITO SINNIUS, QUID AUTEM ID IPSUM APPELLAVERINT VETERES LATINI; QUIBUSQUE VERBIS SOLOECISMUM DEFINIERIT IDEM CAPITO SINNIUS.

“Soloecismus”, Latino vocabulo a Sinnio Capitone eiusdemque aetatis aliis imparilitas appellatus, vetustioribus Latinis stribiligo dicebatur, a versura videlicet et pravitate tortuosae orationis, tamquam strobiligo quaedam. Quod vitium Sinius Capito in litteris, quas ad Clodium Tuscum dedit, hisce verbis definit: «“Soloecismus” est, inquit, impar atque inconveniens compositura partium orationis».

Cum Graecum autem vocabulum sit “soloecismus”, an Attici homines qui elegantius locuti sunt usi eo sint quaeri solet. Sed nos neque “soloecismum” neque “barbarismum” apud Graecorum idoneos adhuc invenimus; nam sicut βάρβαρον, ita σόλοικον dixerunt. Nostri quoque antiquiores “soloecum” facile, “soloecismum” haud scio an umquam, dixerunt. Quod si ita est, neque in Graeca neque in Latina lingua “soloecismus” probe dicitur.

(Auli Gellii Noctes Atticae, V, 20)

poetae Latini, adhuc exstant commentarii Latini, atque etiam palaeophilologi usum linguae Latinae nondum omnino respuerunt, in duobus quidem

inceptis, quae sunt Bibliotheca Teubneriana et Thesaurus Linguae Latinae. Quis ergo dicere audeat linguam Latinam esse mortuam? ☹️

"Quaerentibus, qui maxime me eum effecerint qui sum, saepe respondi, e scholis professorum, quibus interfui perpauca neque gravia me didicisse. (...) ut verum fatear, plurimum me sentio eis debere quos vivos non vidi, et aequalibus quoque, etiam si vidi, per libros potius quam per sermones. quos recensere, ut memoria obferebat, institui 6 III 28.

Lessing 1865/6 (ante quem maxime *Shakespeare* et *Homerus* me iam puerum XI annorum ceperant. Hom. deinde *non* tenuit animum, semper tenuit Shak.) πολυμαθία, critica, audacia pugnandi, rationalismus. maxime Antigoeze, Litteraturbriefe, tum dramaturgia.

Plato autumnus 66 Symposio me initiavit, ψυχὴν ἔρωτι subdidit. religionem dedit, qua omnino carueram. Christiana cor meum numquam intravere. in dies magis me tenuit tenebit. sed totus Plato, a Protagora ad Leges.

Philosophorum recentiorum tantum Spinozam eatenus legi, adulescens, ut ipse suspicere possem. Kantium ariditate et rationalismo deterritus celeriter abieci. Γόητες, Schopenhauer et sequaces, ne tantum quidem valere, ut odissem. sensi statim rationis debilitatem. sensi «ils ne sont pas sérieux».

Goethius (si a poeta recesseris) me cepit demum 67, superabat Platonem 69-87, dein sensim Platoni cedebat. classicismo enim deterrebar. (...)

Mommsen, cuius hist. puer ingurgitavi, inde ab 1872 totum me cepit, plurima me docuit, sed non vir virum sed per libros. nam nihil umquam adiuvere me poterat: ipse multum et laboris et curarum in eius gratiam consumpsi, et laudantur multa et bona in eius historia <e> V quae scio mea esse. multum etiam effecit exemplo suo, ut impotentem animum in me coercerem. nam perhorruui in eo impotentiam et vini et linguae et ambitionis. denique me docuit similiter invito exemplo iniurias non solum tolerare salva et pietate et ingenii admiratione, sed etiam beneficiis redimere."

(Ulrich von Wilamowitz-Moellendorff, *Autobiographia*)

DE NOVIS LIBRIS

D. SACRE, Aonii Palearii Verulani De animorum immortalitate libri III. Introduction and Text, Bruxellis, Koninklijke Academie voor Wetenschappen, Letteren en Schone Kunsten van België, 1992 (libri editi ab Academia Belgica venumdantur apud domum editoriam Brepols, 68 Steenweg op Tielen, B-2300 Turnhout)

Anno 1986 Theodoricus Sacré thesin suam doctoralem in Universitate Lovaniensi publice defendit, cuius prior pars in lucem nunc edita est, curante Academia Belgica. Hoc libro tractantur Palearii (1504-1570) vita operaque, exponitur eius bibliographia, proponitur editio critica carminis «De animorum immortalitate». Altera autem pars, quae exspectatur, aget de carminis commentario philologico.

Ad quae legenda vos alliciant dicta viri, qui inter primos fuit carminis lectores; is est Cardinalis Iacobus Sadoletus:

«Superioribus proximis diebus, cum esset allatus ad me liber Aonii Palearii de immortalitate animorum, praeclaram inscriptionem prae se ferens eamque rem totam heroico carmine complexus, legere eum statim quam avide coepi, quasi tentaturus an promisso satisfaceret qui tam sublimem titulum operi suo praeposuisset. Atque ibi video id, quod mihi primum summae voluptati, deinde paene incredibili fuit admirationi, rem tantam, quanta altera nulla est, quae quidem ingenii proposita sit et considerationibus, tam graviter, tam erudite, tam etiam et verbis et numeris apte atque eleganter tractatam esse, nihil ut ferme nostrorum temporum legerim, quod me in eo genere delectarit magis.»

T. PEKKANEN, *Ars Latina. Latinan oppikirja*, Helsinki, Yliopistopaino, 1993

Utinam nostris etiam in regionibus aliquando floreat tales libri scholares, in quibus omnia fere sint Latina, praeter exercitia et lexicon. Ubi etiam textus, quibus ars grammatica explicetur, variam amplectantur Latinitatem: antiquam, mediaevalem, recentiorum. Nec risus neglegitur, ut patet ex imagine subiuncta ultimisque libri verbis:

TANDEM SCHOLA CLAUDITUR
TACENT PRAECEPTORES
TANDEM PROFICISCIMUR
LAETI VAGATORES...



DE CENA ROMANA (II)

SCRIPSIT VALTHERUS FUCHS

Tricliniarum sive opsonatorum dispositio erat epulorum in triclinio.

Tricliniarum erat cibos resecare, distribuere, apponere.

Pueri *libati* i.e. servi selecti bellique profuseque tunica pulchra vestiti exornatique cibos ministrabant in triclinio. *Veste cenatoria* induti soleisque calceati convivae ad epula se conferebant calceis non admissis (ne opera musiva pavimenti laederentur).

Inter epula vestimenta saepius mutari solebant; *pueri ad pedes* erat domini exuere soleas priusquam accumberet in convivio.



vas et trulleum

photogr.: Rhein. Bildarchiv Köln

Manuum lavandarum causa aqua non solum ante cenam, sed etiam inter singula fercula


porrigebatur a servis canentibus *vas* et *trulleum* inter manus tenentibus, qui circumire solebant aquamque bene olentem super cenantium manus cibis oblitae fundebant; cibi a servis appositi nonnumquam glacie nimis refrigerati aut nimis fervefacti valetudini hospitem non raro nocebant; ceterum cenantes abundantia ciborum sumptorum laborantes medicaminibusque vomificis mane sumptis in vomitoria saepius se conferebant vomitatum, ut modo artificioso penna quadam iuvante stomacho exonerato luxuriari pergere possent.

Cena ergo terminata non solum vomitorium, sed etiam opera musiva pretiosa perpulchraque tricliniorum vomitu hospitem saepius erant inquinata. «Quod dissolutus deliciis stomachus vix admittat, ab ultimo portatur Oceano. Vomunt ut edant, edunt ut vomant» (Seneca, Ad Helviam Matrem de Consolatione, IX).

Servi *urinalia* et *matellas* secum portare dominisque in conviviis occasione necessitatis subministrare solebant.

Culina stabulum recessus persaepe conclavia erant adiacentia et eodem systemate tubulorum subterraneorum i.e. emissarii utebantur, quorum emolumentum in eo erat, quod tali modo intertrimenta culinae liquoresque male olentes celeriter abduci poterant.

Culina ergo his de causis remotā a triclinio fercula - propter longam viam - saepe non calida, sed tepida advenerunt ad triclinium.



Pompei: "Domus Fauni" (Ugo Paoli, *Das Leben im alten Rom*, München 1979)

4 et 5: stabula; 6: balnea; TR: triclinium

Supellex aetate maiorum satis modesta decursu temporum praecipue post 2um a. Chr. n. saeculum iniens valde mutabatur cum post bella in Asia gesta magna invasisset in Italiam luxuria; inde ab illo tempore tabulae, sellae, lecti non iam e ligno communi tantummodo erant confecti, sed lignis nobilibus auroque argentoque ebureque obiecti ac exornati; parietes conclavium domuum divitum aulaeis velabantur, ne quid pulveris decideret in mensas.


Fuscinula ac *culter* tamquam instrumenta escaria illis temporibus inter cenam nondum erant in usu - scissores sive carptores cibos, praecipue carnem, in culina minutatim in frusta scindebant, hospites ergo illos cibos scissos digitis e vasis depromptos manu ori afferebant; cochlearibus ligulisque tantummodo utebantur.

Apud Petronium in libro de Trimalchionis cena legimus haec: «Et quia (scil. «cocus meus») bonam mentem habet, attuli illi Roma munus cultros Norico ferro» (cap. 70). Ceterum *culter* apud Romanos adhibebatur in sacrificio inserviebatque victimis mactandis.

Quod attinet ad *fuscinulam*: non ante 16um p. Chr. n. saeculum in Europa in omnium versabatur usu. Immo vero ille rex Francogallorum c. n. Ludovicus XIV aulicos suos *fuscinula* utentes iracundissime reprehendere solebat.

Cochlearia parva erant instrumenta non solum medicamentis sed etiam ovis cochleisque inservientia consumendis quorum parte extrema acuta in ostreis cochleisque utebantur aperiendis; manubrio acuto caro assata minutatim secta suffigi solebat.

Ligula autem, instrumento escario ponderosiore savillum aut *puls* ori afferebatur.



A: ligula
B: cochlear

Delin. depr. ex J. Marquardt, op. cit.

Maximi momenti in conviviis *salinum* erant et *acetabulum* iuxta repositoria posita in mensis cibisque condiendis inservientia. Talia instrumenta generatim e metallo nobili confecta et in divitum et in pauperum domibus erant in usu. Omnes coqui aceto utebantur in cibis parandis. Melle faeve vino modesto adiuncto liquor mox effervescebat et

in acetum vertebatur.

Vasa: escaria, potoria, coquinaria, promptuaria itemque instrumenta escaria pretiosissima monopoditis imposita oculis convivarum solebant praebere vel aere metallisve nobilibus confecta.

Occasione effossionum vasa escaria vinariaque e metallis nobilibus facta rarissime ad lucem proferuntur: testae enim vasorum fictilium diffractorum a Romanis abici solebant quia nulli inserviebant rei; vasa autem argentea aut aenea fracta et diminuta numquam abiciebantur, sed iterum conflabantur novaque e fragmentis vasa conficiebantur. Hanc ob rem vasa vitrea quamvis fracta numquam intertrimenta habebantur, sed vitreariis iterum adducebantur liquefaciendi novorumque vasorum conflandorum causa - bonum exemplum regyratationis («Recycling») materiae in antiquitate.


In testis enim vitreis liquefaciendis minore opus est temperatura quam in arena liquefacienda.

Inter acceptissimas formas vasorum vasa erant rugarum impressarum quae meliori inservirent prehensioni.

Usque ad nostram aetatem ab archaeologis 55 fere variae formae vasorum fictilium Romanorum ad lucem sunt prolatae. Ecce (in hoc proximoque fasciculo) delineamentum ad nonnullas pertinens formas vasorum fictilium Coloniae effossorum.




amphora



dolium



urceus



(sequetur)

DE ITINERE PETROPOLITANO (26-29 III 1993)

SCRIPSIT THOMAS PEKKANEN

Iam anno ante consilium nobis fuerat Petropolim obeundi, quo Academia Humanistica Petropolitana programme quinque dierum praeparato nos invitaverat et occasionem seminarii Latini cum collegis latinistis Petropolitans habendi praebuerat.

Grex septem latinistarum Granvicensium ad iter paratus omnia documenta ad visam obtinendam necessaria in consulatum Russiae Helsinkiensem satis mature mandaverat, sed cum post dies certos ab officialibus consulatus visam iam promissam habere voluit, responsum est documenta illa nusquam inveniri dubiumque esse, an ea umquam consulatui essent mandata.

Uno mense post rem iterum temptavimus, nam collegae Petropolitani, qua sunt in rebus byrocraticis patientia, programma nostrum in mensem sequentem distulerant. Ut omnia rite fierent, ipse documentis omnium studentium et epistula invitatoria Academiae Petropolitanae ornatus consulatum adii et visam petivi. Documentis examinatis mihi satis superbe responsum est Academiam Humanisticam Petropolitanam nullum ius habere greges studentium peregrinos in Russiam invitandi. Forsitan habuisse, cum Unio Sovietica exstaret, nunc autem leges valere Russicas. Quo responso adeo eram obstupefactus, ut vix officiali contradicerem et paene iurarem me numquam postea iter Russicum esse temptaturum.

Visa a consulatu nobis ita negata valde dolebam, quod sciebam collegas Russos nos exspectavisse et consuetudines cum universitate nostra coniungere sincere voluisse. Itaque, cum professor Valerius Durov, praeses Departmenti Classici Universitatis Petropolitanae mense Martio a.c. mihi scripsisset et me ad colloquium Latinum Petropoli habendum humaniter invitavisset, libenter me venturum respondi, dummodo visa ad iter necessaria mihi concederetur. Professor Durov de meo itinere epistulam telecopiatro etiam in consulatum Russiae Helsinkiensem miserat, qua effectum est, ut die 26 mensis Martis visam obtinerem. Postridie igitur eius diei multo mane tramen ferriviarium in statione Helsinkiensi incendi et iter Petropolitanum incohavi.

Petropolis Helsinki quadringenta chiliometra

distat. Singulis diebus bina tramina in utramque partem provehuntur. Iter ferriviarium est sex fere horarum. In confinio Finnico telonarii Russi in currus intrantes de pecuniis et rebus pretiosis, quas viatores habeant, accuratissime sciscitantur. Mihi declarandum erat me habuisse unum anulum et unum horologium. Summam pecuniae, quam secum habent, viatores et numeris et litteris in schedula indicare eamque in patriam revertentes eisdem telonariis reddere debent.

Post limitem Finniae ex eo primum in Russiam te venisse intellegas, quod pulsum rotarum rhythmicum audire incipias. In Russia enim regulae ferrivariae non sunt in unum ferruminatae, quo fit, ut rotis iuncturas earum pellentibus rhythmus oriatur, qui viatorem in facilem somnum consopit. In isthmo Carelico, per quam iter fert, silvae sunt magnae, sed quo propius Petropoli adveheris, eo frequentiores fiunt villae admodum irregulariter sparsae et omnes inter se dissimiles, quarum peculiari architecturae similis in Europa occidentali vix invenitur.

Prima in Russia statio est Viburgum, emporium Careliae olim Finnicae satis celebre, conspicuum arce munitissima, quae a. 1293 aedificata est. Anniversarium igitur Viburgi septingentesimum hoc anno celebratur. Turris Arcis Viburgensis ex fenestra traminis breviter conspicitur. Urbis aspectus vix mutatus est ab illo, quam anno 1944 habebat, cum Finni bello inferiores facti eam Russis relinquerent. Viburgi tramen dimidium horae constitit, quo viatoribus licuit exire et apud argentarium pecunias occidentales in rublos Russicos permutare. Triginta dollara in rublos mutavi, quorum tantam copiam accepi, ut uno marsupio non caperentur. In statione Viburgensi est etiam «berioska» i.e. taberna mercatoria, ubi occidentalis tantum pecunia accipitur. Veneunt ibi vina et tabaca occidentalia et variae res memoriales.

In stationem ferrivariam Petropolitanam temperi pervenimus, ubi Vjaczeslav Oblakov, moderator Organizationis periegeticae «Narvskije Vorota», mihi obviam venit meque autoraeda sua in deversorium Sovietskaja portavit. Idem Vjaczeslav, vir summae fidei, auriga meus per

triduum erat. Aderat semper etiam Tanja Barteneva, in Universitate Petropolitana linguae Finnicae studens, quae interpretis munere laudabiliter fungebatur et, ut erat etiam historiae artis peritissima, monumenta aliaque urbis mirabilia explicabat.

Conclavi satis lauto accepto et prandio in deversorio raptim sumpto iam in Facultatem Universitatis Philologicam erat proficiscendum, ubi professor Durov ceterique Institutionis classicae professores et studentes nos exspectabant. Quamquam de itinere meo non ante quam pridie certus nuntius dari potuerat, circiter 25-30 auditores, quo plures auditorium capere non potuit, ad acroasim audiendam venerant. Praesto erant professores Alexander Zajtsev, Alexander Chernjak, Alexander Gavrilov aliique, quorum nomina me fugerunt. Peristasis acroaseos meae erat «De re Latina, quomodo in Finnia se habeat». Postquam finem feci, non solum professores sed etiam studentes plus scire cupientes quaestiones Latinas mihi proposuerunt, ex quibus intellegi potuit latinistas Petropolitanos haudquaquam a viva Latinitate esse alienatos. Colloquium Latinum usque ad octavam horam vespertinam continuatum est, qua finis erat faciendus, quia portae Universitatis iam claudebantur.

Vesperum in caupona deversorii Sovjetskaja egi, ubi optimum vinum gustans programma scaenicum spectabam. Tales saltatrices numquam vidi, talem cantatricem nullo in spectaculo occidentali audiui. Sunt Petropoli tantum duo theatra melodramatica sed plurimae scholae saltationis scaenicae. Post scholam peractam saltatrices etiam summae artis, quamvis munus in theatris habere non possint, tamen Petropoli manere quam abire malunt, quo fit, ut in urbis cauponis saltatrices meliores quam in clarissimis theatris terrarum occidentalium saepe videas. Vinum Italicum, quod bibi, minoris erat pretii quam in ipsa Italia.

Postridie eius diei urbis monumenta vidi, in his Arcem Petri et Pauli atque carcerem ibidem situm, museum quod est «Eremitage» cum palatio imperiali, Basilicam Isachi annis 1818-58 constructam, ad quam etiam ex Finnia lapides portatae erant. Vespere Sabbati professor Jacobus Barovskij me cum professore Zajtsev domum suam invitaverat. Est iam duodecentum annos natus, sed bona valetudine fruitur et studia Latina exercet. Duas fere horas iucundissime de rebus Latinis Latine collocuti sumus. Abituris nobis professor Barovskij, qui Nestor omnium in orbe terrarum latinistarum haberi potest, hoc epigramma in anniversarium bismillennarium Horatii poetae scripsit mihi que permisit, ut ubi fieri posset, divulgaretur:

*Campos Elysios habitas bis mille per annos
Et semper vivunt tot monumenta tui.
Semper honos nomenque tuum laudesque manebunt.
Nos Flacci memores suscipe posteritas.*

Valde commoti hospiti nostro valediximus, qui impense petivit, ut se vivente iterum Petropolim venirem.

Die Dominica mihi occasio data est in theatro melodramatico nomine Musorgskij dicto spectaculum «Sylphides» videndi. Tesserae admissionis iam pridem erant exhaustae, sed Vjaczeslav Oblakov curaverat, ut optimam sedem in podio iuxta moderatorem luminum haberem. Eodem die ad cenam invitatus eram ab Vjaczeslavo eiusque coniuge, quae officio mystagoga greges viatorum Russorum in Turciam aliasque terras meridionales ducit. Iucundissimum vesperum usque ad seram noctem cibos et potiones Russicas degustantes egimus.

Die Lunae tabernas cauponum domosque mercatorum obii et varias res memoriales emi. Merces occidentales in multis tabernis veneunt, sed pretia plerumque eadem sunt atque in Finnia. Difficilius erat vinum melioris notae invenire, sed id quoque Vjaczeslav mihi expedivit, antequam tertia hora postmeridiana domum reversurus tramen inscenderem.

Triduum nimis breve tempus est ad Petropolim visendam, ubi tot homines habitant quot in tota Finnia. Miram artem et humanitatem ibi inveni, quamquam tacendum non est de miseria et paupertate, quae saepius et foedius viatori occurrunt quam apud nationes, quas iugum communismi numquam oppressit. Gratias ago collegis Petropolitanis et imprimis Vjaczeslavo Oblakov, cuius industria et amicitia factum est, ut tam multa brevi tempore viderem et iter Petropolitanum tuto et feliciter perficerem. Si quis lectorum Petropolim ita visere voluerit, ut plus videat quam viator communis et vulgaris, suadeo, Vjaczeslavo scribat, cuius inscriptio cursualis haec est: Independent Humanities Academy «Narvskije Vorota», St. Petersburg, 1st line, 52; numerus telephonicus 812/218 96 39 aut 812/159 57 96. Est enim grapheum eius in ipsa Universitate et ideo ad consuetudines cum hominibus academicis in ea universitate versantibus coniungendas maxime est idoneus. ☛

De itinere Latino in Cappadociam

Nuntii



Iter necessario fiet inter diem 24 m. Iulii et diem 4 m. Augusti, cum ante et post hos dies habeantur seminaria Latina.

Itinerabimur novem vel ad maximum decem dies. Unusquisque e sua regione aeroplano petet Ankyram, ubi grex noster primum congregabitur in deversorium.

Ineunte proximo anno oportet sciamus qui hoc iter participare in animo habeant. Tunc singulos per litteras de rebus practicis minutatim certiores faciemus, necnon de pretio definitivo.

Pretium itineris erit circiter:

- 40.000 Francorum Belgicorum in conclavibus duorum lectorum vel
- 44.000 Francorum Belgicorum in conclavibus unius lecti.

Quo in pretio includuntur iter aerium, pernoctatio, ientaculum et cena, autoraeda longa conducta et dux in Cappadocia.



Ut iter, quod Melissa proximo anno in Cappadociam faciet, Latinis lectionibus praeparemus, proponimus excerpta e libro cui titulus est *Turcici Imperii status, Lugduni Batavorum ex*

officina Elzeviriana, anno 1634.

Videamus, quomodo Turci territorium suum auxerint.

•Urbes muro clausas perraras habent. Summa ipsis Imperii vis in subditorum impotentia est. Itaque moenia urbium a se captarum statim deliciunt tamquam infaustum et infelix fidus¹ omnia depopulantes. Hinc proverbium ortum est: *Qua Ottomannicus aliquis transivit, ibi neque folia neque gramen provenire.*

•Debellatae provinciae rectorem dant, qui nobiles (praesertim eos qui Principali stirpe orti sunt) ad unum omnes occidit, familiasque opulentiores alio transfert. Neminem tamen cogunt ad abiurandum religionem. Arma victis adimunt.

•Ipsi militaris disciplinae amantissimi, obsequiosi; laboris, aestus, frigoris tolerantes; paucio cibo, eoque vili contenti, in itineribus conficiendis omnia silentio peragunt. Arma habent, lanceam, arcum, securim, acinacem, clavam ferream, gladios quos vocant *scimitare* [Itali], sclopeta, aliaque omnia quae Christianis in usu sunt, nisi quod equites cataphracti apud ipsos rari.

•TURCARUM IMPERATORES. Primus illorum Imperator OTTOMANNUS fuit, Tartarus natione, miles magni Cham, homo audax, corporis viribus prae ceteris eximius. Hic praetextu iniuriarum quarundam secedens a Tartaris, coepit in Cappadocia montes atque aditus insidere.

•Habebat initio apud se equites XL. Accesserunt praedae spe, tum scelerum suorum conscientia permoti alii multi; quorum opera quod ante clam instituerat, palam adgredi coepit; occupavitque Cappadociam, Pontum, Bithyniam, Pamphyliam et Ciliciam, regiones opulentissimas. Haec gesta sunt circa annum Domini nostri MCCC. Imperavit autem Osmanes sive Ottomanus primus annos XXVIII.

•Successit ei ORCHANES; qui patrium Imperium iisdem artibus, sed maiore opum vi et divitiarum copia servavit auxitque; usus imprimis opportunitate Christianorum, animis inter se dissidentium: quo factum est, ut Mysiam, Lyconiam, Phrygiam, Cariam domuerit, Niceam obsederit ceperitque, et regnum ad Hellespontum usque protulerit. Contendebant eo tempore inter se Palaeologi Constantinopolitani cum Cantacuzeno. Ratus autem Orchanes, quod res erat, fore ut si huic faveret, in Europam accerseretur, traiecit, et viam posteris stravit Europam divexandi. Sub finem vitae infeliciter cum Tartaris decertans, occubuit, postquam regnasset annos XXXI.

(pp. 104-105)

¹ fidus = foedus